-for Dr W: F: Edwards M.D.

with best wishes and kind rega

The Author

-ris 1829

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

AQUÆ FRIGIDÆ

IN

FEBRIBUS USU.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

DE

AQUÆ FRIGIDÆ

IN

FEBRIBUS USU;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS ALEXANDER CHERMSIDE,

Hibernus,

COHORTIS EQUITUM REGIÆ, PRINCIPI BRITANNIAS REGENTI
PROPRIÆ, (VEL Xmæ) CHIRURGUS PRIMARIUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOCIUS, COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.
NECNON COLLEG. REG. CHIRURG. EDINBURG. PERMISSUS.

"ΑΡΙΣΤΟΝ μὲν ὕδωρ·——
ΠΙΝΔΑΡ. ΟΛΥΜΠ.

Ad Calendas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVII.

BELLATORI FORTISSIMO,

RICARDO HUSSEY VIVIAN,

ORDINIS HONORATISSIMI BALNEI

EQUITI IMPERATORIO,

COPIARUM BRITANNICARUM

DUCI VICARIO,

OLIM

COHORTIS EQUITUM REGINÆ BRITANNIARUM,

(VEL 7MÆ)

PRÆFECTO;

VIRO

VIRTUTIBUS ANIMI,

OFFICIO IN PATRIAM,

INGENII ACUMINE,

INSIGNI;

OB CONSILIA, BENEFICIA, PATROCINIA

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

HOC, HEU! TENUE TESTIMONIUM

GRATISSIMI ANIMI,

CONSECRAVI

ROBERTUS ALEXANDER CHERMSIDE.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

AQUÆ FRIGIDÆ

IN

FEBRIBUS USU.

ROBERTO ALEXANDRO CHERMSIDE Auctore.

ILLUSTRISSIMUS CULLENUS praedicare solebat, quod si ulla morborum Πανακεια usquam extiterit, eam Aquam esse oporteret. Si, autem, venerandus ille Professor nuperum et extensum hujus laticis usum, praesertim affusi per corpus sub initio febrium, conspicatus esset, commoda inde

nata

nata maximopere opinionem hujus remedii auxissent.

Militia septennis maxime inter bella Hispanica et Gallica, plures occasiones observandi efficaciam Aquæ Frigidæ, seu affusæ seu potæ, in illas febres, militi inevitabiles, mihi præbuit: ideoque conscius quam efficax et parabile præsidium chirurgo militari esset, eam pro disputationis nostræ argumento selegi; Almæ sic Academiæ legibus obtemperans, nequaquam inventoris difficiles honores petiturus.

Mihi equidem propriam, et alienam quam inter militiam viderim, experientiam respicienti, utilitas aquæ frigidæ in febribus tam corpori perfusæ quam ventriculo receptæ, magis et enixius observationem postulare videtur, quam curatio quælibet alia mihi observata: quin et perpulit ut testimonium nostrum, utcunque leve vel fugax, gravioribus antecessoribus adjicerem.

Neque vero hic affirmarem, aquam frigidam cinchonæ vice curationem febrium solam occupare debere, vel hâc prorsus omissâ, illi ex toto insistendum esse. Nobile istud remedium permagni

magni æstimo, præcipue ad febres intermittentes; vix tamen usui esse crederem sub ipsâ accessione, quo certè tempore aquæ frigidæ perfusio auxiliatur potissimum; quinetiam corpus cinchonæ suo tempore exhibendæ commodissimè præparat. De hoc autem infra videbis exempla.

HISTORIA.

Quod aquæ potus, necnon affusio, in febribus, veteribus innotuerant, vel ipsorum scripta documento sunt. Quæ ex his fide digniora videntur breviter considerabo, utpote quæ in se historiam hujus medicinæ amplectantur.

Artis ipsius Pater, optimus Hippocrates, omnium longe primus, calorem morbosum ope frigidæ subducere voluit. Febrem ad calorem præter naturam ille referre solebat; atque cum ratio curandi sua, contraria contrariis (*ἑνὶ δε συντόμῳ λὸγῳ, τα εναντια των εναντίων ἐστὶν ἰήματα* *), opponeret,

* Hippocrat. Opera Omnia Græc. & Lat. Edit. Joan. Ant. Vanderlinden. Lug. Batav. A. D. 1665, tom. i. p. 401. sec. 11.

opponeret, remedium naturale, frigus, adhibuit. Eâ in febre, quam *καυσον* appellavit, frigus extrinsecus admoveri præcipit, panniculorum ope ex liquoribus frigidis expressorum, partesque cubantis maxime calidas tegentium; potus quoque frigidissimos propinari; enemata, denique, quam gelidissima in alvum infundere, ut calor temperetur: "Τουτω ξυμφέρει
" ψύγματα προςφέρειν· Και προς την κοιλὶην, ϗ
" εξωθεν προς το σῶμα φυλασσόμενος μὴ φρίξῃ.
" Κὰι τὰ τε πόματα ϗ τά ῥοφήματα διδόναι
" πυκνὰ, ϗ κατ ολίγον ὡς ψυχρότατα· την δὲ κοι-
" λίην θεραπευειν ἢν μεν μη ὑποχωρέη τα ενε-
" οντα, κλύσαι, ψυχειν τε κλυσμασι ὡς ψυχρο-
" τατοισιν, ἢ ὁσημερα, ἢ διὰ τρίτης *."

Inter Græcos, quoque Galenus, qui a sententiâ Hippocratica parum abhorruit, potu ac affusione in febribus solvendis usus est. Hæc curatio sub eo felicissime fuit deducta, ut videtur, a propiore

* Ibid. tom. ii. p. 167. sec. xi.

propiore latioreque rerum observatione: "Εστι," "δ' ἡ αμετρια της πυρεττοντων," inquit, δυσκρασιας, εν πλεοναξια θερμοτητος. ἡ τοινυν, εις ευκρασιαν, ὁδος, αυτοις δια ψυξεως εσται· ει μεν ουν ηδη γεγονοτες ειεν ὁι πυρετοι, το δε ποιησαν αυτους, αιτιον σχοιτο, μονως αν ὁυτος ειη της θεραπειας αυτων σκοπος, ἡ ψυξις· ωστε ζητητεον ἡμιν τας ὑλας, ὁσαι ψυξιν ισορροπον εχουσι τη πλεονεκτουση θερμοτητι *.

Ex Romanis CELSUS, qui GALENO diu præcessit, aquam frigidam extrinsecus et intrinsecus certis in modis usurpari voluit. In libro III. cap. vii. hæc verba habet: "Possunt etiam super stomachum poni folia vitis, in aquâ frigidâ tinctâ," ubi de febre pestilenti agitur. In alio loco, "Cum vero in summo incremento morbus "est, utique non ante quartam diem, magnâ "siti antecedenti, frigida aqua copiose præstan-"da est, ut bibat etiam ultra satietatem;" adjicitque, "Quidam ne vomitum quidem exi-"gunt,

* GALEN. Opera Omnia, tom. IV. lib. viii. p. 118. edit. Basil.

"gunt, sed ipsa aqua frigida tantum, ad satie-
"tatem pro medicamento utuntur." Invenitur etiam eodem libro (cap. IX.) notabilis hic locus: "Nonnunquam etiam lentæ febres sine ullâ "remissione corpus tenent, ac neque cibo ne-"que ulli remedio locus est: in hoc casu medi-"ci cura esse debet ut morbum mutet: fortas-"se enim curationi opportunior fiet, sæpe igitur "ex aquâ frigidâ, cui oleum sit adjectum, cor-"pus ejus pertractandum est; quoniam inter-"dum sic evenit ut horror oriatur, et fiat ini-"tium quoddam novi motus; exque eo cum "magis corpus incaluit, sequatur etiam remis-"sio."

Porro medicus Arabicus AVICENNA, balneum frigidum febrientibus, ut et potum frigidum usui commendavit *.

P. ALPINUS magnis laudibus hanc medicinam cumulavit, Ægyptosque crebro usurpare dixit. "Mirabile est," inquit ille, "quomodo tale præ-"sidium has febres expugnat: nam excretioni-"bus

* AVICEN. de Febrib. II. Cap. vii.

"bus quas aqua suscitat, hæ febres finiun-
"tur *."

Plurima præterea existunt vetusta hujus auxilii testimonia, quæ silentio melius premerentur, nempe ut recentiores scriptores attingam.

Prima venit Doctoris De HAEN enarratio, ablutionum per aquam frigidam, in illâ febre Uratislaviæ sævienti, anno salutis 1737, optimos effectus consequentium: hàc utique fidendum est.

Nefas esset non hoc loco meritissimum ac doctissimum virum ROBERTUM JACKSON inseruisse, quum opus hâc super re perquam æstimabile, quantumcunque a Doct. CURRIE abhorrens, in medium protulit: Jam satis compertum habemus, illum ab anno 1782, usui aquæ frigidæ in febribus magnâ curâ et experimentis infinitis animum attendisse: et hercle ejus experientia hujus remedii multa fuit et diuturna, in variis regionibus orbis terrarum, inter milites æque ac privatos cives: ejus præcepta medicinam

* ALPIN. Lib. II. cap. ii. & xv.

nam facientibus magni æstimanda sunt. Neque ullus fuit medicus, ut documenta publica satis superque testantur, qui feliciore eventu remedium de quo sermo est, febribus adhibuit.

Neque minus fide dignæ sunt observationes, anno 1786, Doctoris Wright, medici arte et famâ insignis.

Doct. Brandreth libellum in Commentariis Medicis Edinensibus anno 1791 edidit, quo se jam diu corpora febricitantium aquâ frigidâ cum aceto mista abluisse docet.

Auctor de hâc re proximus est clarrissimus ille semperque deflendus Jacobus Currie, cujus aureum opusculum manibus omnium terendum est, sed præcipue Chirurgorum Militarium, qui modo præceptis de affusione frigida inibi rite animadvertant, una cum his Doctoris Jackson, periculosissimum ac frequentissimum malum, cui miles patescit, in ipso impetu cohibere poterunt, et hominem patriæ incolumen reddent. Atque cum reputamus quàm sæpe hydra illa, contagium (cujus vis pestifera gladio ipso perniciosior, dextram strenuissimi bellatoris enervem, tanquam fascinum demisit) ab eâ vel cunabulis

stranguletur,

stranguletur, dignitatem ac æstimationem artis nostræ auctum iri oportebit.

Ut minora nomina silentio transeamus, illust. GREGORIUS *, doctissimus ac clarissimus in hac Academia rei practicæ Professor, balneum frigidum prælegendo semper usui commendat, atque docet se ipsum optimos hinc effectus in Typho expertum esse; idem in Scarlatina correptis, aquâ frigidâ felicissime usus est. De aquæ frigidæ potu agens, in elegantissimo suo Conspectu Medicinæ Theoreticæ, hæc verba fecit: "Pura autem aqua fontana præsertim recens et frigida, optimus et saluberrimus sive sanis, sive ægris potus est: nimirum qui sitim restinguit, corpus refrigerat, acria diluit et sic obtundit, urinam et sæpe sudorem movet, noxia expellit, putredini obstat, concoctioni opitulatur, et demum ventriculum roborat."

Priusquam febrium curationi per aquam frigidam manum admoveamus, haud alienum videtur pauca de generalibus ejusdem in corpus

* Vide Medical Facts and Observations, vol. 8, p. 9.

humanum effectibus ante proponere. Hos effectus variæ causæ regunt, viz.

I. Frigoris vehementia.

II. Hominis ipsius conditio.

III. Modus applicandi et operandi.

IV. Tempus per quod applicatur.

V. Magnitudo superficiei frigore afficienda.

Sigillatim hæc perstringere conabimur.

I. Frigoris effectus, ut pro ratione vehementiæ suæ varient, necesse est; modos tamen ponere, quos ultra citrave secunda vel adversa valetudo consistere nequeant, arduum utique foret si revera possibile.

Frigus intensum, diutinum, sedantium potentissimorum et celerrimorum unum est. Sensum omnem opprimit valide, actionem omnem reprimit; mobilitatem totius corporis imminuens, soporem altum morbosum, lethiferum, et torporem inducens. Frigus modicum astringit, stimulat; augetque fibræ musculosæ vigorem, et irritatu faciliorem reddit. Sanguis a summâ cute derivatur, pallorem hujus asperitatemque sic efficiens; arteriarum actio augetur, ac in hunc modum

dum forsitan gignitur in inflammationem proclivitas; spiritus facilior fit; appetitus cibi intenditur, animoque hilariore facto, omnes tam hujus quam corporis functiones novo vigore perficiuntur. Annon * corporis ipsius moles a frigore minuatur ambiguum est; eatenus saltem qua nonnulli fieri contendunt.

Supra diximus, frigus modicum stimulare, haudquaquam inscii, quam vehementer nuperi quidam contenderunt frigus semper et ubique corpus sedare. Ex his doctissimus STOCK haud pauca experimenta hac super re instituit: quæ, licet erroris suspicione non omnino careant, satis firma inque se invicem congrua videntur, ut frigus, multo segnius quam vulgo dicitur, stimulare habeatur. Illud NE QUID NIMIS ubique obtinet. Animalia, ut perhibent, plus oxygenii respirando in frigido quam calidiore cœlo consumunt: quanquam sanguis venarum aëre frigido nigrescat magis, quam sub Jove fervidiore, ubi colores venosi et arteriosi sanguinis minus inter

* COOK's First Voyages, Dr SOLANDER's Account.

inter se distare reperiuntur. Quum autem color arteriarum sanguinis pendeat ab oxygenio in pulmones admisso; quum etiam calor animalis, ut probabile videtur, ab hoc penu sanguinis florescentis proveniat; prout temperies animalis natura æqualis et constans, neque ratione ambientis fluidi habita, semper servanda, postulaverit; rei supra dictæ rationem reddere haud difficile videtur. Cum, enim, animal frigori objicitur, opus erit novo calore generando, qui æquilibrium corporis conservet; ideoque calor antea latens sanguinis ex arteriis copiosius evolvitur: dum in loco calidiore, minus caloris liberi postulante, hic latet, neque caloris eandem mutationem efficit *.

Frigus maximopere intensum torporem summæ cutis et extremorum inducit: loquela difficilis; musculorum motus dolentissimus, vix peragendus est: artuum juncturæ rigescunt, moveri nequeunt: motus sanguinis et spiritus, etiam atque etiam laborant; lassitudo; languor; debilitas

* Vide CRAWFORD on Animal Heat.

debilitas et stupor succedunt, delirio brevi ac morte excipienda.

II. Effectus supra dicti frigoris sæpius videntur in eo cui movendi facultas vel exercitandi semet, adimitur: vel ubi frigus humore jungitur, præsertim si proclivitati, tunc immani, ad somnum non resistitur; ex hoc vix ac ne vix quidem expergefieri potest. Debilitas quomodocunque parata, quem semel occupavit, huic frigoris morbosæ efficaciæ multo proniorem dabit. Quædam animi conditiones, ut omnibus cognitum, vim frigoris obtundere videntur: adeoque furentes, qui totis noctibus tanto frigori patefacti, quantum sanis utique necem intulisset, incolumes tamen evaserunt. Deliranti quem Stock in aquam demisit frigidam, arteriarum pulsus in horæ sexagesimâ cv. et tenuissimi fuissent: immerso tamen clx. admodum debilitati; qui, balneo relicto, ad pristinum robur citissime redibant. Cogitatio diutina, vivida; affectus animi quidam, ejus attentionem intensam ad unam fere rem postulantes; et immensa vis consuetudinis, hanc plurimis potestatem resistendi frigori faciunt. Soporantium quoque nonnullorum

nullorum usus his adjici possunt; docent ebrii haud pauci, qui, ut constat, sævissima tempestate solidam noctem humi sterterunt, neque expergefacti quidquam mali senserunt. TEMPERAMENTA ut vocantur, vel discrimina hominum primigenia, haud mediocriter aquarum efficaciam temperare oportet. Melancholicum * difficilius, sanguineum proclivius, frigore mutatur: nondum tamen directa extant experimenta, quæ variationes vigoris et celeritatis in cæteris ostenderent temperamentis. Varietates quoque constitutionis, vel obscuræ istæ corporis proprietates a morbo quidem longe alienæ, omnes tamen quas naturæ imponere velimus leges, assidue turbantes, effectusque rerum externarum mutantes vel prohibentes; hic non obscure operantur. Res vero ipsæ, tam diversæ et ocultæ naturæ, omnem explorationem refugiunt.

III. Frigus corpori humano per frigidum aërem, vel per frigidam aquam, vel denique per utrumque conjunctum, simul admoveri solet. Hic

* STOCK, Appendix.

Hic modus longe potentissimus et celerrimus; indeque est, ut corpus ab aëre frigido multo magis refrigeretur, quum per spongiam, ex aqua frigida expressam, eodem tempore lavetur. Frigida vero corporis superficiei affusa validissime stimulat: ac stimuli novi hominique insueti, eundem longe potentissime exagitant et mutant: impulsus enim traditur vasculis, curato interim mutationis effectæ probe conscio; atque natura et vehementia renixus ipsius subsecuturi semper respondebunt naturæ et vehementiæ impulsus dati, et facultati renitendi *. Si quidem frigida corpori febricitantis sic affusa, concitet actionem perquam efficacem, naturâ salutarem, actione causæ morbosæ haud minus potentem; credere licebit eam remedium fore validissimum ad febrium cursum abrumpendum, motumque corporis naturalem reducendum, adque hunc modum facile morbum soluturum. Revera obtinet, ut aqua frigida summæ cuti admota, mero impulsu suo vehemente, errorem febrilem in

viam

* Jackson.

viam reducat et suspendat: Errorem profecto coërcendo, opportunitatem præbet illi, qualiscunque sit, CAUSÆ, actiones vitæ salutares tutanti et servanti, imperium hominis resumendi.

Si conjectare fas esset, dicerem aquam hanc αὐτοκράτειαν facultate prorsus suâ conciliare corpori: hoc est talem huic impulsum præstat, qualem ex necesse oporteat motionem salutarem in ordinem referre. Quando non nimius est impulsus, neque adversatur stimulationis ingenio quæ actionem naturalem salubrem excitare debet; verisimile est ut morbus extinguetur, sanitasque, breviore quidem itinere, redibit. Si vero, malum vehemens et præceps sit, donec auxilia debilitata vel extenuata tantum usurpantur, eorum impressio vel nulla, vel imbecillima erit, neque ullus effectus durabilis inde proveniet. Si autem, contra, remedii potestas condensatur, vel multum ipsum applicatur, languentibus vitæ viribus, infirmatis, exhaustis, ab eo sit impressio tam vehemens, qualis non modo morbi cursum avertere poterit, sed et vitam ipsam penitus extinguere. Medici igitur erit, modo corpus paratum et capax impressionis servare,

re, modo remedii usum nimis vehementem cavere; adeoque medium quodammodo respicientem eventus non fallet. D. JACKSON sic ægrotantes præparare solebat: flaccidam unctuosamque quasi lento sudore cutem stimulavit, sapone lavando, strigili fricando donec calor nimius superveniret; inordinatum tamen calorem, et actionem in ordinem redegit sanguinem detrahendo. Aqua frigida per corpus affusa febre laborans, conditionem hominis morbosam manifeste mutat, quanquam jure dubitandum erit an aqua frigida per quam impressio facta sit salutaris, mero et simplice frigoris munere prosit, aliquidve proprium in pondere ejus lateat, utpote quæ existens, impulsum momento suo exaugeat; potestatemque toti compagini faciat, actionem subsecuturam fortiter et efficaciter sustinendi *. Hoc verisimile videtur, neque aliter explicare possumus cur animo deficiens aliquis sub Jove frigido liberoque satis diu semi-mortuus jacebit, donec aqua vix ac ne vix quidem ad eundem calens gradum, per ora respersa, momento torpen-

* JACKSON.

tem excitat. Hydrargyrum quoque magis quam aqua ejusdem frigiditatis, aliquem exstimulat, si subito aspersum. Hinc etiam patebit ratio demergendi membra sub cœlo siccante frigefacta, in aquâ æque si non nimis frigente, quo pacto dolor ante haud tolerabilis confestim tollitur. His dictis, liquet, modum quo applicatur aqua, haud minus referre, quam temperies ejusdem summæ cuti febrientium admotæ, quod ad impulsum peculiarem corpori communicandum. qui demum compaginem universam exagitans et commutans, actionem ejus novas in vias dirigit, pabulumque suppeditat quod vicissim ei in muniis absolvendis vigorem perpetuo ac efficaciam præstare debebit.

IV. Tempus quo frigus applicatum fuerit effectus ejus multum temperabit. Nisi perquam intensum vel corpori vehementer admotum hi debilissimi erunt ex brevi spatio. Frigus, autem, in tantum intendatur ut vel brevissimo tempore adhibitum perniciem inferret. Humores enim a summâ cute in partes interiores tam vehementer revocant, quod effunduntur, aut in cava cerebri, aut pulmonum : quinetiam fieri potest

test ut cor tantâ sanguinis copiâ præter solitum onustum, neque amplius contrahere valens, munere proprio supersedeat.

V. Frigus parti tantum alicui applicatum partis illius resolutionem, atque si diuturnum fuerit, gangrænam inducat. Pars aliqua si CULLENO credas, frigori subjecta, si modo calor reliqui corporis nihil minuatur, facilius afficitur quam si totum ipsum noxæ patuerat, frigus utique universum corpus subito et violenter afficiens, confestim, ut supra docui vitam extingueret; idem, tamen, minori cutis spatio applicatum, gangrænam, verisimile est, vel erysipelas excitaret.

CONDITIONES MORBOSÆ FRIGIDAM POSTULANTES.

QUÆ supra de effectibus frigoris in corpus sanum proposuimus, haud difficulter ad morbosum transferri poterunt. Hoc enim aut patitur auctam vasorum violentiam, ut in PYREXIIS, aut solidi vivi perturbationem, ut in NEUROSIBUS, aut debilitatem demum vel depravationem cujusvis

partis

partis, seu totius corporis, quod in CAHEXIIS et LOCALIBUS videmus. At nimiam aut abnormem actionem frigus sedat, compescit; debilia haud ambigue firmat, et firmando ad naturæ normam refingit. Ideoque cernas vix ullam corporis humani conditionem dari morbosam cui frigus non quodammodo opituletur: longe tamen pyrexiis utilissimum. Ex his febres omni procul dubio commodissime unaque tutissime frigore curantur. Quum ad nos imprimis hoc attineat breviter primum quâ in re actio febrium consistat, requiramus: deinde in quantum cœlum, natura regionis aliaque externa hanc actionem afficiant aut mutant ostendere conamur.

§ 1. *Actio Febrilis.*

Languori, lassitudini, aliisque debilitatis signis, si horror brevi superveniat, pulsu frequente, calore majore, pluribus functionibus, maxime virium motricium læsis, in membris: febris est; et horum malorum consummatio, actio febrilis nominatur. Quum autem in morbis sanandis contraria contrariis opponere oporteat; manifestissimum fit, quam salutiferum febrientibus erit frigus,

frigus, utpote quod calorem extrahat, imbecillitatem suffulciat, vehementiam vasorum refrænet et cohibeat: quod, ne longus videar, proprio et contrario impulsu ordinem illum malorum qui febrem fecerat e loco deturbet, fuget, dissipet.

§ 2. *Actio Febrilis cœlo rebusque externis affecta.*

Quæ recensita fuerunt omnibus quidem locis et corporibus fere communia sunt. Communia vero haud multum, ut Celsus notavit, præclare morbis sanandis prosunt: atque semper, ait ille, a communibus ad propria descendendum est. Quod imprimis verum de febribus est quum ipsarum ingenium, periculum, curatio ab his varietatibus prorsus pendeant. Infinitus nihilominus labor esset, parumque e re nostrâ, etiam si limites quibus me contineo permitterent, hic vel levissime has omnes tetigisse: Ratio instituti nostri varietates tantum quarum oculati fuimus, haud raro inutiles spectatores, postulabit. Id effectum reddere properamus; neque iniquum te judicem lector metuo, si sub historiæ formâ, nec sparsa veluti, disjectaque membra, quæ viderim

derim tibi tradam: namque probe novisti quantum in omnibus fere rebus, sed maxime in indiciis morborum enarrandis, ordo quidam et series mutationum tum legentem tum scribentem adjuvet. His propositis, febrem quam in Hispania milites infestare conspicatus sum infra descriptam habeto.

MORBI HISTORIA.

Quamvis indicia supra actioni febrili dicata in febre illa quam Exercitus Britannici Peninsula Europæ passi sunt plerumque occurrerunt; subintelligi debet hæc aliter atque aliter pro conditione ægri quod ad res externas, corporisque constitutione peculiari, mutata et alternata varie fuisse. Discrimen sic difficile, curationem incertam reddiderunt. Si labores et munera peregre militantis rite perpenderis, res facile videbis exinde orientes, quas morbi naturam intime afficere necesse est. Quales sunt transitus subitanei vel caloris vel frigoris, fatigatio dura itinerum longorum humidorumque, victus parcus, neque raro pravus, per plures dies vel etiam hebdomadas,

domadas, raptim in lautum, affluentem, avide nimiumque ingurgitatum, conversus. Modo post gravissimos pluriumque hebdomadarum labores insperata, diuturna, ignavaque statio: quali ex statione notandum est, febricitantes plures semper observari. Quin et diuturna munerum, bellicorum, pugnæve cessatio valetudinaria febrientibus implere solebat. Sæpe acciderit agmini totis ordine diebus patescere fervoribus ardentis solis: noctu quidem humi cubare super nidum ex arundinibus, foliis, fænove parum siccatis, constratum, sagis tantummodo corpora tegentibus. Brevi huic hospitio successerunt cubicula multo periculosiora; sordida nimirum, angusta et tetra. In his morbum contagio propagari credibile est. Non hoc periclitamur controversiæ movendæ causâ, non ad illos contagii HERCULEOS oppugnatores provocandos: neque demum ignari quam strenue Dr BANCROFT, nullas sordes, nullum aërem impurum, nisi quem contagium jam infecerit, febrem excitare posse contenderit; sed veritatis quam partium (nam partes medicinæ non desunt), studiosiores

diosiores, quod de re sentimus illud haud cunctanter protulimus.

Febrium plerasque produxit autumnus, tempus anni intolerabilis caloris Hispanis, saltem quibusdam provinciis: etiam quo calidior tempestas eo gravior morbus deveniebat, celeriusque ad finem properavit. Juniores militum et robustiores, quam delicati et imbecilli proclivius infici videbantur: hi tamen facilius malo succubuerunt. Remissiones hujus febris obscurissimæ, vix quidem percipiendæ. Languor universus, motus aversatio, præludia fere canebant dies aliquot ante morbi accessionem. Post levissimam exercitationem fatigatus aliquis exhaustus videretur, neque animum muniis vel etiam deliciis advertere voluit. Sæpe officium detrectaret, nullâ causâ dictâ præterquam quod nequiret eo fungi. Haud semel invocatus sum ad milites qui hospitio post breve paucarum horarum iter ingressi se humi prostravissent, armis, ut essent impediti, se neque equis neque muniis attendere posse dicentes. His tamen nulla signa febrem subesse indicarent. Verum sub noctem, iis lassitudo augesceret; surarum dolore ac

spasmo

spasmo corriperentur: sensus frigoris per spinam a posteriore usque capite; oscitatio: molestia post breve spatium ex quolibet corporis positu: faciei rubores: dolor orbitæ et oculi sub motu subito; sensus lucis et soni nimius: cibi omnigeni fastidium: sitis: quamvis minime ardens: lingua nunc perquam sordida fit, sapor oris depravatus: cutis calidior, aridior: pulsus frequentior: alvus tarda: urina parca, ruberrima.

His signis per unum et alterum diem subsistentibus, calor cutis auctior supervenit, pungens, cognitu quam descriptu longe facilior: pulsus arteriarum duriores, frequentiores: capitis dolores orbitæque sæviores: tinnitus aurium: spiritus acceleratus: anxietasque febrilis plus molesta quam antea: lingua tumuisse videtur, arescit; tremit, ex ore protrusa, fissuras passim per superficiem exhibens. Nausea et vomitus subinde accedunt: insomnia: si quando tamen cubans obdormiscat, mussitat, somno consternatus quasi suscitatur, brevi in eandem dormientis speciem relapsurus. Si autem expergefactum adstantes allocut ifuerint, responsa raptim, indis-

tincte eduntur. Urina sub hoc aliquando pallida, comitante licet rarius alvi profluvio. Quum his signis feliciter haud occursum fuerit, ad diem decimam vel duodecimam manifeste et multum ingravescebant:

——— longa est injuria, longæ,
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

Nausea vomitusque nunc magis magisque infestant, tremores, anxietas plurima, stupor, coma: ante quod, tamen, totus vultus multum mœroris indicaverat, at nunc subsidet cum oculis obscuris, vitri speciem quodammodo referentibus. Debilitas nunc ultima. Si homo ante sitierat, non amplius potum desiderare videtur, neque etiam agnoscere cum in os infusus est: pulsus fluctuat rapide, jam debilis: sudores viscidi per frontem apparent: cutis flaccescit, tactu jam unctuosa: epigastrion sub levissima pressura dolet: suspiria profunda: floccorum venatio: singultus: sanguis e naribus prorumpens, nonnunquam et sanguinis in urina species, vel aliquid flavi in ea vidi: lingua et os jam atra, lurida; dentium interstitia magis nigrescunt: spiritus

magis

magis fœtidus: lingua protrudi nequit; petechiæ: dejectiones sponte pessimique odoris descendentes: urina similis. Cum culcita humi fere jaceat, ægrum frequentius novi exinde per se decidisse, nudumque ut erat in solum priusquam videretur, jacuisse. Subsultus denique tendinum: laryngis strepitus: mors.

Morbi origo, cubantis ætas, constitutio corporis, anni tempestas, hujusque temperies signa supradicta multum variabunt. Nonnullis sputum mucosum sanguine tinctum supervenit: aliis cutis flavedo: aliis nullus, saltem levissimus vomitus: aliis integumenta sacri, cubiti, dorsi, posterioris cervicis, ubiubi partes pressuræ subjectiores sunt, gangræna exulceratioueque decedebant. Quibusdam nulla ventris profusio: nullus singultus: nullæ petechiæ. Morbi hujus duo tempora notata fuerunt, inflammationis primum, debilitatis magnæ posterius.

In Hispania quandocunque per tempus liceret corpora incidere, id constantissime peractum est: atqui omnia visa breviter consummari possunt.

Cerebri vasa turgebant, serum in ventriculos

aterrimum

aterrimum elapsum est: sanguinis in vasis mesenterii ac intestinorum, necnon ventriculi, pulmonum, congeries.

AQUÆ FRIGIDÆ IN FEBRIBUS EXHIBITIO.

NOSOLOGIAM secutus nobilissimi CULLENI, febres intermittentes in primis considerandas existimavi.

In regionibus frigidioribus hæ minus periculi afferunt; facilius solvuntur, quam eædem sub cœlo temperato: maxime sub fervido, ubi gravissimæ ac pertinacissimæ existunt. Hoc testantur plurimi scriptores medici.

De aquæ frigidæ usu in febres intermittentes, Marte, ut dicunt, proprio, parum didici: neque plus ab aliorum experientia, quam videre contigerit, haurire potui. Bina tamen exempla, in valetudinario Cohortis Equitum Septimæ in Hispania militantis, felicissime curata viderim. Confitendum nihilominus est, ut quanquam aqua frigida strenue et efficacissime utroque in exemplo fuerit adfusa, remissione subita manifestissima subsequente, attamen cinchona statim

tim adjungebatur, atque meritum restitutæ salutis anceps admodum dubiumque reddebat.

Historia 1*ma.*

Alter, ex equitatu, viginti et quinque annos natus, robustus, tertiana implicitus erat; die morbi quinto, febre ipsa jam ardenter æstuante, amphoræ duæ frigidæ ex lacu vicino haustæ, subito perfunduntur. Ipsissimum caloris gradum dicere nequeo: Hispania erat, mense Septembri, tempestate æstuosa. Impetum subsecuta est respiratio convulsiva per momenta quædam agitans. Linteis jam corpus exsiccatur, lectuloque redditur, se multum recreatum professus, doloremque quoque capitis qui ante male habuit abiisse gavisus. Pulsus multum retardatus, calor parum supra, si non infra naturalem gradum. In decem *minutis* (ut dicunt) horæ postea, se solum sibi relinqui voluit; quo facto somnus statim occupavit per horas tres, quem sudor copiosus et liberalis comitatur.

Expergiscitur debilitatem tantum quærens. Cinchonæ pulveris drachmam cum dimidio, pauculis pulveris aromatici granis adjunctis ad horam

horam vesperi nonam assumpsit; idemque remedium, prima luce, repetiit; et tertia fere quaque hora per dies septem. Nulla fiebat accessio nova febris; atque miles ad officium, nona post aquam affusam die reversus est. Huic deinde homini diligenter animum attendebam, nequando febris reditum tentaret ad tempus consuetum, sed nulla istiusmodi signa observare potui.

Historia 2da.

Alter miles vigesimum annum nondum prætergressus, febre intermittente bis inter dies septem laboraverat, in valetudinarium acceptus morbum nonnisi perobscure describere potuit: pallidus, macer, de debilitate universa, nausea subinde, et alvo adstricta conquestus est. Dejectiones quasdam paucis post hominem admissum horis, solutio sulphatis magnesiæ moliebatur. Sapone deinde ac aquâ calida perlotus, in lectulo reponitur. Postridie, accessio post meridiem distincta supervenit; quumque calor jam maxime intensus videretur situlæ aquæ frigidæ duæ probe in ægrum depletæ sunt: ut supra,

pra, una in caput impensa. Has signa consueta sequebantur: brevique postea pulsus minus creber, calor cutis minus intensus redditur, sudore modico, sensuque grato solaminis subsequente. Cinchona hoc quoque in exemplo accersebatur in auxilium, similem in modum, nisi acidum sulphuricum dilutum adjectum fuisset. Neque huic rediit iterum febris.

Ex his, utcunque mancis exemplis, aliisque, quæ non manu esse doleo, aquam frigidam in summam cutem aspersam optime talibus in febribus cinchonæ auxiliari duco. Doct. Currie similem eventum narravit; et medicus Italicus Gianini * in libro de febribus, plurimis exemplis affusionis rem corroboravit.

Exemplum quoque traditur (in Journal de Medecine, tome 36. p. 143.) ubi quidam sub febre ipsa quartanæ in balneo frigido demissus est, postquam sole versatus fuerat sub tempore mali frigido. Ibi se tenebat donec calor totus abiret,

* Della natura della Febbri, e del meglior metodo de curarle, 4to, Milano 1805.

abiret, neque postea febris unquam recidivam perpessus est.

In nonnullis vero graviorum intermittentium, intervallum adeo breve vel indefinitum fit, quod tempus ad cinchonam exhibendum, medicanti deerit. Indicia interim magis magisque prementia remedium enixius postulabunt; atque id, nisi liberaliter sumptum, ne flocci quidem valebit; quod fieri non potest cum paroxysmi tam properato gradu sibi invicem succedunt; utcunque primis, ut dicunt viis alvoque attenditur, morbus infrænatus perget; quinetiam cinchona, nolenti ægro per magnos modos imperata ventriculus oneratur, nausea et vomitu haud raro vehementi plectitur. Rebus ad hunc modum perstantibus, si febris accessiones per frigidam affusam interrumpantur, illæ tardius supervenient, atque homo virium aliquid interea comparabit, adeoque spatium cinchonæ exhibendæ amplius præstabit. Si viscera tamen aliquo morbo afficerentur affusio frigida percaute adhibenda. Balneum denique frigidum illustrissimi Gregorii * suffragium tulit, in prælectionibus

† Audi Prælectiones Gregorii.

bus nimirum proponentibus, "quicquid homi-
"nem vehementer exagitat, aut confusione quadam permisceat et turbet, id sæpe utile reperiri: adeoque nonnunquam accidisse ut quartanæ tenacissimæ balneo frigido finitæ essent."

DE AQUÆ FRIGIDÆ IN FEBRIBUS CONTINUIS USU.

Quod antiquis mos esset salubris lavandi corpora in aquâ frigidâ omnibus constat: consilio probabile est servandi vel roborandi valetudinem. Neque silendum est eundem, morem hodie inter Barbaras gentes invalere: Quinetiam M. Bourgeois*, Gallus, (a Bancroft memoratus) scriptis tradidit, Afros insulam Hispaniolam transvectos, siquando febris occupaverit, corpora frigida proluere consuetos esse: ritus ab omni memoria, opinor, a majoribus in sobolem derivatus.

 Scripta

* Memoire sur les Maladies les plus communes à St Dominique, leur remed. &c.

Scripta Doct. Currie omnibus jam medicis in manibus sunt, qui præceptis exinde monitisque usi, hostem omnium vitæ humanæ infestissimum debellarunt.

Sub febre continua, duplice consilio frigidam aquam adhibuerunt. Nempe, 1mo, Febris cursum ex toto circumcidere ; vel, 2do, Cùm id fiere non possit, compescere, atque calorem sitimque ardentem restinguere. Ut prior effectus reddatur, affusio frigida vel balneum frigidum invocanda sunt : ad posteriorem effectum reddendum, corpus lavare spongiâ ex aquâ frigidâ cum vel sine aceto, potusque similiter confectus ; etiam lotiones per alvum immissæ, satis efficaces erunt. In paginis primis, auctores plures et graves hujus curationis patronos citavi : neque crimini mihi datum timeo, si adjiciam et mihimet plurimas occasiones notandi affusionis in summam cutem, potûsque frigidi intrinsecus, utilitatem in febribus oblatas fuisse ; quinetiam illa curatio magnam officii quotidiani partem chirurgo militari in bellis longinquis constituere.

Res ad quas in frigidâ exhibendâ nos respicere oportet, hæ sunt;

I. Ægri conditio.

II. Morbi progressus.

III. Aquæ temperies.

I. Ægri conditiones quæ frigidam affusionem indicant, commode satis a Doctore CURRIE exponuntur: Scilicet, cum nullus algoris sensus subest; cum summa cutis constanter præterque naturam calet; cumque nulla generalis perspiratio adest, tum frigida utilissime affundatur.

Certum est, febrientes multos nunquam hæc signa, frigidam affusionem postulantia exhibere. Quo in modo hi curandi sunt? Si illis Doctoris CURRIE præceptis tantummodo nitendum est, affusio omnino omittur, quoniam calor præter naturam vehemens, ad quam hæc præcepta maxime pertinent, quemque affusio tolleret, non subfuerit. At, ni fallor, longe aliter tales febris species tractandæ erunt.

Quandocunque aliquis febre jaceat, et cutem exhibeat squalidam, marcidam, madidam, ac adeo non calentem ut vel frigoris molestia quædam

dam subsit, tum cutis aquâ ex sapone imprimis lavetur. Postea fricetur linteis asperis, et laneis calefactis, in cubiculo satis calido, aromaticis et cardiacis interim modicè sumptis; corpus sic ad calorem et mobilitatem idoneam promotum, aquâ refrigeratur affusâ, quæ sic omnia quæ habet commoda perinde ac flagrantissima in febre exhibet *.

II. Si morbus progressus fuerit ad tertium, vel ut plurimum ad quartum diem, catenatio morbosa indissolubilis confirmabitur, neque ullâ fere arte dirumpi se postea sinit. Plurima, nullus dubito, exempla fuerunt, probisque auctoribus narrantur, ubi febris vel septimâ nonâque die fuerit hoc modo extincta. Sed talia rarissime accidere necesse est, atque spes satis anceps erit. Nihilominus jure dubitabitur, ne ægri semper veram morbi durationem accurate dixerint, vel etiam cognoverint; quapropter non ex toto desperandum erit, quamvis tempus ab ægro dictum, limites hic positos nonnihil transiret.

III. Temperies aquæ quodammodo ex ægri conditione pendere deberet. Si ille perquam imbecillis sit, forsan opus erit aquam calidâ temperare:

* JACKSON.

perare: Quamvis CURRIE, (p. 28.) quam maxime frigentem, nimirum ad gradum 40 Ft. feliciter administravit; et nulla aqua, nisi arte frigifacta infra hunc gradum unquam descendit, adeoque longis præceptis de hac re medicina non eget. Quinetiam in regionibus fervidis, quibus aqua naturaliter nimium calet, haud alienum erit sales aliquos, frigoris gignandi gratiâ, prius in ea tabefaçere, vel aceto miscere, quod naturâ frigus ultra quod mensura indicat ægrotanti commodare solet.

Quum nihil, nisi calorem abstrahere volumus, ablutio ex aquâ tepidâ, auctore CURRIE, cito et efficaciter id procurabit. Idem affirmat se experimentis cognovisse, laticem quindecim vel viginti gradibus frigidiorem quàm calor hominis est, hunc in usum præstare. Aquam inter gradum 75 F. et 85° balneum frigescens vocavit, et in febribus uti proponit.

AQUÆ IN FEBRIBUS POTUS.

QUOD præcipuum et summum quasi aquæ bonum ex affusione, lavatione vel balneo commodetur,

detur, probe conscius sum: quoniam et gratè reficiat febrientes, calorem morbosum minuit, sordes et alia impura a summâ cute salubriter detergeat.

Nihilominus, utilitatem potûs frigidi permagnam et gratissimam haud silendum judicavi. Libera quidem et infrænata frigidæ potatio nonnunquam febrem omnino solvit, ægrum restituit: neque defuerunt medici qui tali auxilio uterentur ad febres ex impulsu ut credunt ejus proprio, solvendas. Non potest equidem hos effugisse medicos qui febribus curandis multum versantur, quod ægri, siti ardente, magno calore laborantes, aquam per se, frigidam, puram et intemeratam, ministros enixè rogare solent, omnibusque aliis utut medicatis gratisve haustibus anteponunt; quinetiam acidulos, quos acceptiores fore putasses, posthabent. Atqui, potus medicati vel simplicissimi, nimis sæpe ventriculo non contineri reperiuntur. Rem autem sic esse non unquam ex aquâ frigidâ, purâ, et simplice me vidisse memini. Primus quidem vel etiam secundus haustus forte rejiciatur: hoc tamen facto, liquor facile retinetur, stomachique irri-

tatio

tatio eo consopiri videtur. Haud multa nihilominus, danda est; crebroque repetenda. Si contra, magna ingurgitatio ventriculum onerabit. Rite adhibita, calorem corporis immodicum temperabit, febrisque actionem vehementem. Cutem ad lenes sudationes flectit, ventriculi inflammationem aut arcet aut modicum reddit. Usus hic inter antiquos late innotuerat, ut jamdudum, sub initio hujus opusculi, satis ostendimus.

Remedium igitur tam potens non temere usurpandum; quamvis cautiones in affusione præscriptæ huc quoque, mutatis mutandis, facile transferantur.

Fusiùs, postremo, super hac re diximus, quia hodierni, in febribus tractandis, magnam aquæ frigidæ potûs utilitatem omnino male negligere solent.

FINIS.

ADDENDA.

ADDENDA.

Vide Pag. 22.—*His propositis*, &c.

Ne nos perperam a variis et optimis hujus febris descriptionibus, nuper, et hâc Academiâ et alias, in lucem editis, abstinuisse videamur, paucula excusanda sunt. Imprimis, limites satis angusti quibus dissertatiunculæ Academicæ cohiberi debent, ne quidem nomini uniuscujusque scriptoris spatium præbuisset: Deinde cum hoc parum usui lectori fore viderem, satius putavi illum sine morâ ad Dissertationem referre, quæ non tantum omnia huc pertinentia sistat, sed et quæcunque alia mala Militem Britannicum

tannicum Hispania bellantem vexaverit, Libellum illum optimum JACOBI MACGRIGOR, Equitis, intelligo, quem de morbis Exercitûs in Peninsula scriptum, biennio ab hinc, VII^{mo} volumine Actorum Medico-Chirurgicorum Londinensium inseruit.

Præscripta quidem præstantissima, quibus Vir Clarissimus rem Medicam Militarem auxit et ornavit, non tantum hujus, sed serioris ævi homines, modo amor Patriæ et sapientiæ adeo usque descendant, gratos simul et mirantes exhibebunt: neque minimum his ex curis commodum habendum est, Illum posteris sic tradere potuisse commentarium, tam fidum et accuratum, eventuum medicorum, sub Bello, omnium longe gloriosissimo quibus unquam Britanni sunt versati.